

ait Ecclesiasticus, c. XV. *Ille* (Deus) *me implanavit*, hoc est, scabrum, asperum, saxum, sentiosum fecit, ideoque sterilem; culpa tua, non satoris et creatoris Dei est.

Tertio, cum legis ea verba: *Cæteris autem in parabolis ut videntes non videant, et audientes non intelligant*: tace, inquam, et ne dicas personarum acceptionem esse apud Deum; qui Judæis quidem negaverit explanationem verbi divini; apostolis autem tradiderit. Id enim non Christo imputandum, sed Judæis, qui exigentibus suis demeritis indigni erant claro Dei verbo, quod spernebant, vel certe malevolo animo audiebant; itaque velatum et quasi cortice inclusum tradi eis decuit: quod tamen si interrogare Christum vellent (quemadmodum apostoli fecerunt) facile ab eo percipere, adeoque nucem frangere possent. Quare si tibi verbum Dei subtrahitur, vel si tibi parabola tantum est obscura, ænigmatica, cor tuum minime excitans; sile: *Non dixeris*: inquit Ecclesiasticus, c. XV. *Per Deum abest*, scilicet sapientia a me; sed tibi potius imputa, qui exigentibus tuis peccatis non instrueris ita ut convertaris: vel quia non vis intelligere, nec dicere quod nescis. Per te itaque, non per Deum abest a te sapientia. Sed cur datum est apostolis ut intelligant mysteria, et non mihi: quod si apostolis non esset datum, neque ipsi intellexissent? Sile hic rursus et noli cum Deo disputare, qui cum dona sua gratis det, dat cui vult, negat cui vult: *Et quis potest ei dicere: Cur sic facis? Dominus in templo sancto suo*, inquit Habacuc, c. II. *sileat a facie ejus omnis terra*, q. d. Dominus habitat in sancto sanctorum et intimo recessu cum consiliis suis, qua nemini ingredi licet. Sileant igitur omnes, nemo hiscere audeat contra ejus opera: quia nemo ea intelligere vel ipsi præscribere quiddam potest. Alexander M. postquam suis armis et victoriis Asiam subegit, totum orbem perterrefecit: *Et siluit terra in conspectu ejus*, ut dicitur, I. Macch. (nimirum sicut mures silent coram fele, aves coram accipitre, serpentes coram basilisco) quia ejus majestati et potentie nemo se opponere ausus fuit, quidquid ipse fecit, quidquid imperavit, ratum et rectum omnibus esse debuit. Quanto æquius hoc dicimus de divina majestate?

Quarto, cum virtutum semina in agrum cordis tui a Deo immissa videris, sile, inquam, tunc et humilitatis ac silentii cespite tege illa semina: si quidem aves diabolicæ illis insidiantur, ut si ea prodas aut emicare sinas vanæ gloriæ causa, illico devorent, teque eorum merito spolient, imo et accusent aliquando in judicio, qui tam pretiosa cælestis gloriæ semina tam stolide pro-

degeris. Dicit ergo in hoc casu cum Isa. c. XXIV. *Secretum meum mihi, secretum meum mihi*. Ita fecit mulier illa apud Arvernos, quæ cum marito perpetua in virginitate vixerat, mortua denique cum maritus secretum id aperiret e sepulcro ad eum vociferata est: *Sile, sile vir Dei: quia non est necesse nostrum, nemine interrogante, aperire secretum*, ut ex Greg. Turon. retulimus.

III. Ferendum denique est primo, quodvis infortunium seu adversitas et cum nobis studia nostra ex optato non succedunt, cum labor et industria nostra finem suum non assequuntur: audimus enim in hodierna parabola tres seminis partes satori perisse, quartam demum partem fructuose jactam esse; nec tamen ob id indignatum agricolam aut absterritum a labore. Augetque hanc rem, quod nulla ejus culpa damnum hoc emersit: non enim in terram sterilem jacta esse semina, sed cecidisse ait evangelista. Quare si concionator videat post tot labores suos vix quartam vel etiam quadragesimam auditorum partem emendari e concionibus suis: si parentes post sudorem, curas et sollicitudines suas e pluribus filiis vix unum alterumve evadere virum bonum, cæteros omnes degenerare: si discipulos magister pene omnes videat perverti: si episcopus oves suas plerasque abripi in hæreses, quid faciendum? Ferendum et Deo committendum est. Laborem Deus remunerat, non lucrum labore partum. Discesserant aliquando ab ipso Christo multi ejus discipuli, cum de eucharistia disserteret; verum nihil inde motus Dominus interrogavit etiam duodecim apostolos: *Numquid et vos vultis abire?* Joan. VI. indicans (juxta opinionem S. Chrysostomi) se eorum etiam ministerio minime indigere, si discedere vellent.

Secundo, cum in domo, familia, societate, vicinia deprehendis hominem incorrigibilem, adversarium, pacis turbatorem, etc. quid enim faciendum tibi, si expellere eum nequeas? Ferendum utique sicut agricola in agro suo ferre debuit petras, spinas, viamque publicam in parabola hodierna. Tulit hoc pacto Job uxorem improbam et insultatricem in domo sua, Christus Judam in collegio suo, S. Martinus Briccium æmulum et irrisorem suum in monasterio suo. De sancto quodam patre narrat S. Dorotheus, apud Raderum, III. p. virid. c. II. fuisse ei fratrem, quem religiosa veste induerat, diu sibi infensum ac conviciatorem, quem tamen ipse semper magna charitate fovit ac toleravit dicens sibimet: *Hic est a Christo missus ut omnem animæ tuæ vanitatem et gloriam ferro adurat. Hic est medicus animæ tuæ; sicut nocent, qui beatum te et sanctum prædicare solent*. Qui tamen adversarius

CONCIO X.

MYSTERIA.

I. Quis seminator?—II. Cur seminat in terras steriles:—III. Quid semen?—IV. Cur ait Dominus: *Qui habet aures audiendi, audiat?*—V. Quid alius? *Cæteris in parabolis, etc?*—VI. Dæmones cur volucres?—VII. Quæ terra bona?

THEMA.

Vobis datum est nosse mysterium regni Dei.

Luc. VIII.

Videtur quidem hodiernum evangelium expositione non egere, quando ipse Dominus exponere id dignatus est, quia tamen id discipulis suis tantum, non omnibus exposuit, adeoque doctis solum, sapientibus pauca dixit. Quare si qua ampliore explanatione indigemus, ad Christum accedamus cum apostolis, eamque ex ore ejus requiramus.

I. Quis est sator? Resp. Christus. Hic enim imprimis recte dicitur esse is, qui seminat seu seminans, quia nunquam seminare desinit. Seminavit ab orbe condito verbum in cordibus hominum, dum lumen illis naturale indidit, quo cognoscere, quid sciendum, quid faciendum, naturaliter possent. Addidit et lumen supernaturale revelando eis necessaria ad salutem. Seminavit per legem Moysis et per legem novam. Idem adhuc quotidie non cessat seminare per servos suos prædicatores verbi Dei: per confessarios: per internas inspirationes, lectionem, exempla, leges Ecclesiæ, regulas cujusque status, vim sacramentorum, monita parentum et superiorum, morbos, bella, etc. Unde S. Urbanus cum vidisset Valer. sponsum S. Cæciliæ ab ea conversum, sic orabat: *Domine Jesu Christe, seminator casti consilii, suscipe seminum fructus, quos in Cæcilia seminasti*.

Deinde, seminator iste exiit seminare per opus incarnationis, dum primo, humanam naturam, veluti agricola vilem et rusticanam vestem indutus e domo sua cælesti in hunc mundi agrum exiit et semen verbi sui spargere cepit. Secundo, dum in mundo se spectabilem et manifestum exhibuit, qui prius in cælo suo a solis cernebatur angelis; sic enim exire dicitur imperator cum e conclavi suo, in quo ab aulicis tantum videtur, in publicum prodit. Tertio, dum urgente vi amoris erga genus humanum, ex seipso exiens, in amatum transiit. Ita enim exiit, cum amore nostri exinanivit semetipsum formam servi accipiens, seque impiorum manibus vexandum et illudendum tradidit, ita ut pro fatuo reputare-

tandem humanitate patris victus patri occurrit et flens ab eo veniam ultro precatus est. Potest ergo Deus lapides istos mutare in terram bonam; quod si non contingat, erunt saltem medici nostri. Nam ut ait S. Augustin. in Psal. LIV. *Omnia mala aut ideo vivit ut corrigatur: aut ideo ut bonus per illam exerceatur*.

Tertio, cum te omnis generis tribulationes et calamitates prement. Quid enim si pauperas, si fames, si morbus, si calumniæ domum tuam invadant? Ferendum utique; siquidem audimus terræ bonæ semina fructum quidem afferre, sed in patientia. Quemadmodum enim segetem in agro plurimæ cæli injuriæ expectant, pluvie, nives, gelu, æstus, pruina, venti et quandoque grandines, quibus omnibus superatis tandem maturescunt fruges: ita fidelem quemque plurima oportet foris et intus sustinere mala, quibus exhaustis tempore suo fructificet. Gravida mulier non edit partum desideratum nisi cum patientia dolorum maximorum. Nux ut multum fructum afferat multis operari verberibus debet. Terra ipsa nisi aratro et ligone erebro exagitata variisque tempestatibus visitata, non fert uberes fructus. Denique, S. Jac. V. *Ecce agricola*, ait, *expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum et serotinum. Patientes igitur estote et vos, etc.* Quos enim et quantos labores subeunt agricolæ propter unius anni messem? Arant bis, ter agros, sulcant, sarrunt, stercorant, occant, serunt, metunt; et hæc omnia patienter ac fere cantando faciunt. Hinc ergo viri perfecti gratulantur sibi de tribulationibus, quibus exercentur, et in iis gloriantur, uti S. Paulus, in epist. hodierna ubi gratulatur primo Corinthiis de hujusmodi tempestatibus libenti et invicto animo exceptis, tum addit se quoque earum esse participem, recensetque laborum et persecutionum suarum integrum catalogum. Alii non expectarunt a Deo tales tempestates, sed ultro subierunt; ut imprimis stylitæ illi, qui ad ultimum vitæ spiritum per multos annos frigus, æstus, ventos, pluvias, famem passi, immoto corpore et animo steterunt in columnis. Nos ergo, auditores, et in tantis quidem heroës non possumus imitari, imitemur saltem agricolas, qui pro futura messe patienter labores perferunt, imitemur agros ipsos, qui fructum ferunt in patientia. « Credamus (inquit Chrys. serm. CIII.) quod crux nostri corporis sit aratrum; fides semen; sulcus sepulcrum; resolutio, germen; expectatio, tempus: ut cum ver Dominici adventus arriserit, corporum nostrorum matura tunc viriditas vitalem resurgat in messem nescituras jam finem.

tur Dei sapientia. Annon est noc a se longissime exire?

Tertio, seminavit semen suum primo, ad differentiam aliarum proprietatum divinarum. Patri enim appropriatur potentia, Spiritui s. sanctificatio, Filio autem sapientia, cujus est illuminare et verbum Dei evangelizare, seipsum, hoc est sapientiam suam aliis communicare. Quid autem magis tuum, quam tu? Secundo, ad differentiam prophetarum et apostolorum aliorumque verbi Dei prædicatorum. Hi omnes prædicant verbum Christi, non suum, et seminant semen de manu Christi acceptum. Unde dicebant illi: *Hæc dicit Dominus: Christus autem: Ego autem dico vobis.* Illi dicebant: *Verbum Christi habitat in vobis: Christus autem: Si verba mea in vobis manserint.* Væ ergo illis, qui seminant semen suum et propria somnia prædicant de corde suo! Quemadmodum hæretici faciunt et Rabbinii Judæorum. De his Ezech. XIII. dicitur: *Vident vana et divinant mendacium dicentes: Ait Dominus, cum Dominus non miserit eos! et mox: Et erit manus mea super prophetas, qui vident vana, et divinant mendacium, etc.* Id quod eventus ostendit, plerumque enim male pereunt isti ut pseudo-prophetæ illi, III. Reg. XVIII. Arius crepuit medius, Joannes Hus rogo exustus, Mahomet apoplexia tactus, Lutherus strangulatus, Calvinus a pediculis corrosus, Manichæus a rege Persarum vivus excoxiatus est. Viderint etiam concionatores, qui suum potius loquuntur verbum, quam verbum Christi: dum non tam fructum facere quam doctrinam et eloquentiam suam ostentare conantur, et ita verbum Christi profana larva tegunt. Viderint denique auditores, qui verbum Dei spernunt, quod hic vel ille concionator illis displiceat. Scire enim debent eos prædicare verbum Dei, non suum. Idecirco, *qui vos spernit, me spernit*, ait illis Dominus. Tertio, ad differentiam philosophorum et sapientum hujus mundi, qui partim vera dixerunt, scripserunt ac docuerunt, et ita non seminarunt semen suum, sed Dei verbum et alienum, quo proinde nos etiamnum recte uti possumus: partim falsa, et ita jecerunt semen suum, qua errorum paleis erat permixtum.

II. Cur seminavit in terras steriles, viam, petram, spinas? Quis enim prudens istud faceret? Resp. primo, causam esse, quia homo ager quidam voluntarius est, qui virtute jacti seminis et gratiæ divinæ ex terra mala et sterili mutari in bonam potest: id quod in agris semen materiale præstare nequit. Ita dicitur Ezech. XXXVI. *Terra illa inculta facta est ut hortus voluptatis.* Non potest agricola jaciendo semen facere agrum bonum, aut ex lapide terram: *Potens est autem*

Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahamæ, ait Joan. Baptista, Matt. III. Potest etiam homo, si velit, cum Dei gratia, potest inquam, qui secus viam est, recedere a via, et agro incorporari, id est, potest ad concionem accedere et attendere, ab hæresis vel sæculi tumultibus recedere. Potest qui saxeum habet cor, remove saxeum et induere cor carneum. Potest qui spinis obsitus est, spinas extirpare.

Resp. secundo, id facere Deum, ut ostendat omnibus amorem suum et se quantum est in ipso, velle omnes salvos fieri, ne proinde se possint excusare homines si ea non præstent, quæ mandantur. Si quis enim publicum appareret epulum suis consanguineis, is, si prudenter ageret, invitaret omnes propinquos suos (licet aliquos sciret non venturos) ut ita amorem suum testaretur erga omnes.

Resp. tertio, id factum ad instructionem concionatorum, ne cessent seminare verbum Dei etiam in cordibus illorum, a quibus fructus non speratur, et ne dejiciantur, si videant frustra se laborare; siquidem non ideo peribit merces eorum. Revivuit aliquando truncus aridus a Joanne quodam, postea abbate, ex præcepto superioris triennio rigatus, ut est apud Cassian. I. IV. cap. XXIV. quidni et arida corda erebra verbi Dei irrigatione revirescere ad meliorem frugem queant? Ad hæc vel unius animæ conversio et salus condignum est laboris præmium. Cum Antimachus poeta nobilis convocatis auditoribus legeret suum carmen, eumque legentem præter unum Platonem omnes reliquissent, dixit: *Legam nihilominus, Plato enim unus mihi instar est omnium*, Cic. clar. I. de orator. Ita si vel unum semen cadat in terram bonam, et fructum ferat, sufficit concionatori.

III. Quid denotat semen? Respondet Dominus: *Semen est verbum Dei.* Appositissima comparatio, sive ipsum Dei verbum in se, sive concionatorem, sive auditores consideres. In se spectatum, exiguum quidem est, maximæ tamen virtutis; crescit enim in herbam, culmum, et spicam et multiplicat seipsum. Sic unicum sæpe Dei verbum hominem ex profano spiritualem facit et patratores magnorum operum, ut Augustinum, Victorinum turgidum rhetorem, et alios. Secundo, semen in se mortuum est, jactum vero in terram vitam exerit; sic verbum Dei, cum tantum legitur vel auditur, mortuum quid est: at si corde suscipiatur, ibi operatur. Tertio, sicut terra, nisi bono conservatur semine, ex se nihil nisi inutiles profert herbas et zizania, ob Dei maledictionem; sic mens nostra verbo Dei destituta, nil nisi noxia et vana profert.

Quod attinet ad concionatorem: uti semen purgatum esse debet antequam seratur, ita non nisi purum Dei verbum convenit prædicare, purum inquam ab hæresibus et rebus ludicris; unde alioqui nascuntur zizania. Rursum sicut semen undequaque spargitur in agro, ita verbum Dei nemini non prædicandum. Ad hæc uti semen manu spargitur ab agricola, ita Dei verbum prædicandum a concionatore, non ore tantum sed opere; ne alioquin audiat id apostoli ad Rom. II. *Qui prædicat non mæchandam, mæcharis?* et illud Christi: *Medice, cura teipsum.*

Quod ad auditores attinet, primo, sicut ager dispositus et purgatus esse debet a spinis et petris, sic cor auditoris ab affectionibus inordinatis et vitii vanisque sollicitudinibus liberum sit, dispositum item per pœnitentiam et attendendi voluntatem sit, et tractabile et a pravus cogitationibus vacuum. Secundo, semen abscondi et mori in terra debet, sic verbum Dei in corde recondi et expendi per seriam meditationem. Tertio, non sufficit terram esse bonam et subactam, requiruntur præterea pluvie et alii cœli influxus, ita præter liberum arbitrium et bonam auditoris mentem, requiritur et Dei gratia, quæ det incrementum semini, etc. quæ causa est ut ante et post concionem oratio fieri soleat.

IV. Cur ait Dominus: *Qui habet aures audiendi, audiat?* Numquid aliqui auditorum ejus aures non habuerunt, aut si habuerunt numquid ad videndum, palpandum, etc. et non ad audiendum? Resp. primo, provocare Christum hac voce ad audiendum Dei verbum omnes, qui auribus præditi sunt, hoc est, qui facultatem et vires atque occasionem habent audiendi. De his enim strictiorem exiget rationem in die judicii, alioquin non dixisset: *Multi prophetæ et reges voluerunt videre, quæ vos videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt*, Luc. X. Multi quidem habent aures, sed ad audiendum profana, non ad audiendum verbum Dei.

Resp. secundo, provocare ad auditum cordis seu voluntatis. Tametsi enim aliquid audiunt verbum Dei, nolunt tamen intelligere seu in cor admittere. De his Ezech. XXXIII. ait ad prophetam Dominus: *Es eis quasi cæcum musicum, quod suavi dulcique sono canitur*, q. d. audiunt te voluptatis et recreationis gratia, non doctrinæ, ut vitam corrigant; quasi audirent te scite pulsantem instrumentum, cujus sonum ad aures tantum admittunt, solo concentu delectati: quo deficiente, perit etiam ejus memoria, nihilque inde utilitatis capiunt.

Resp. tertio, indicare multos habere aures, sed non tam ad audiendum, quam ad videndum, et oculos contra non tam ad videndum, quam ad audiendum; quales sunt, qui mox credunt, quidquid de proximis dicitur, quasi id oculis suis usurpassent; jurant ita rem habere. Vicissim autem quæ quotidie vident, tam parum animadvertunt aut cordi ducunt, ac si per famem solam cognovissent. Vident quotidie morientes circa se homines, amicos, propinquos, vicinos, unumque post alterum efferri ad sepulcrum, inde tamen nihilo magis moventur ad pœnitentiam et mortis providentiam, quam si ex antiqua aliqua chronologia legi id audissent. Similiter alii aures afferunt ad concionem, sed ad videndum aut loquendum, qualis sit concionator, non audiendum; adeoque cum ipsi instar aurium positi sint in corpore Ecclesiæ, volunt esse oculi aut lingua: contra id apost. I. Cor. VII. *Unusquisque, in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.*

V. Quid sibi vult illud Christi responsum: *Cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, et audientes non intelligant?* Itane Deus excæcat homines, ut in incredulitate et errore suo permaneant? Respondeo velle sibi hoc, Judæos excæcandos esse et docendos solum obscure in pœnam peccati. Est enim alia cæcitas mentis, quæ est culpa, de qua Joan. XII. dicitur: *Excæcavit eos malitia eorum*, hi videlicet nolunt intelligere ut bene agant. Et hanc in Judæis pro causa affert Dominus apud Matth. *Quia videntes non vident* (inquit) *et audientes non audiunt.* Alia cæcitas est pœna, cum quis in pœnam peccati et contumaciæ suæ ita deseritur a Deo, ut non illuminetur magno et copioso lumine, per quod efficaciter convertatur. Sufficiens quidem lumen nemini negat Deus; uti nec Judæis istis negavit, (nam si parabolam non intellexissent, poterant cum apostolis rogare Dominum pro ejus declaratione) et hanc cæcitatem pro causa affert Dominus apud Marcum et Lucam. Utrumque igitur Judæorum cæcitatem tetigit. Et si roges eum, cur apud Lucam et Marcum dicat: *Ut videntes non videant, etc.* respondebit apud Matthæum: *Quia videntes non vident, etc.* q. d. quia laborant voluntaria mentis cæcitate et cordis duritia, adeoque cœlesti lumini occludunt fenestras, ideo sic puniuntur, ut in hac cæcitate permaneant et obfirmantur, adeoque recedat ab eis lumen id quod excluderunt, quoque convertendi erant. Quando quis ex oculis laborans, lucem refugit, ideoque fenestras claudit et lumen solis excludit, tunc sol quidem necessario excluditur. Sed cum quis audire non vult lumen doctrinæ sanæ, non

necessario excludit Deum sed demeritorie tantum. Facile enim esset Deo adhuc rimas invenire, per quas illuminare illum posset: id vero ut non faciat, merentur hominis illius peccata præterita. Unde prima et directa causa excæcationis suæ est ipse homo. Secunda et indirecta est Deus, dum in pœnam contumaciæ subtrahit ei lumen id, quod poterat communicare. Hac ratione, qui sub concione componunt se ad somnum aut alias cogitationes, ne verbum Dei audire cogantur, merentur ut non excitentur, ve ut non intelligant, cum quid ad salutem eorum necessarium proponitur, quia fenestras lumini claudunt.

VI. Cur dæmones vocantur volucres cœli? Resp. primo, quia maximo numero habitant in aere, licet usque ad diem iudicii solum. Unde ad Eph. II. *Principes potestatis aeris hujus vocantur*, etc. id est, *principes tenebrarum harum et spiritualia nequitiae in caelestibus*, id est, in aere. *Non est nobis colluctatio, ait, adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in caelestibus.* Ubi in paucis verbis habes eorum naturam, quia spiritus; speciem, quia invisibiles; indolem quia nequissimi, ipsæque nequitiae; potestatem, quia mundi rectores; fraudem, quia principes tenebrarum; locum, quia ex aere nos invadunt. Merito ergo subdit: *Propterea accipite armaturam Dei ut possitis resistere in die malo.*

Secundo, quia velocissime in nostram perniciem volant, et nostræ perditionis gratia perambulant ac circumveunt terram, ut ille Job I. Non tam cito congregantur corvi ad cadaver, quam cito conveniunt dæmones ad nocendum homini, cum vident eum sui negligentem.

Tertio, quia voraces et insatiabiles, semper circumveunt quærentes quem devorent: sicut aves semper quærunt grana, quæ de agris tollant, maxime selecta ut columbæ: patula item et quæ emicant. Curet igitur latere, qui non vult devorari; latere inquam per humilitatem, quia sola hæc evadit laqueos diaboli, uti aliquando S. Antonio dictum a Deo, cum orbem totum aspexisset laqueis plenum et quæsisset: Quis evadet istos laqueos? S. Martinus videns aliquando mergulos in flumine piscari et rapacem ingluviem assiduè urgere capturas, ait ad discipulos suos: *Forma hæc dæmonum est, qui insidiantur incautis, capiunt nescientes, captos devorant, exsaturari non queunt devoratis*, Sulpit. in vita.

Quarto, quia ut volucres devorata grana diu conservant et circumferunt in stomacho: sic etiam dæmones conservant in memoria partim

verba Dei, quæ nos excidere passi sumus, partim peccata nostra usque ad extremum diem ut ibi nos accusent: unde a Matthæo hic vocatur malus, a Marco Satan, id est, adversarius, a Luca diabolus, id est, calumniator.

VII. Quæ est terra bona? Resp. esse cor, a terrenis affectibus et perturbationibus vacuum atque liberum. Qui tale cor habent, primo, verbum audiunt in corde bono et optimo, id est, in corde meliori vel meliori, quia pro bonitate cujusque melior et melior prodibit fructus; quo enim purius est cor audientis ab omni inordinato affectu, quo melioris voluntatis, etc. eo majore fructu audiet verbum Dei. Bonum cor movetur ad præcepta servanda: optimum ad consilia etiam et multa, quæ non sunt præcepta. Bonum cor movetur ad peccata relinquenda: optimum etiam ad multa bona patranda. Bonum cor movetur timore gehennæ: optimum vero virtutis et Dei amore.

Secundo, verbum retinent, in corde suo abscondunt et domi per hebdomadam ruminant, sibi que tamquam regulam proponunt imitandum. Absque hoc nihil prodesset, recepisse verbum Dei, sicut nec sumpsisse cibum, qui revomitur. Unde S. Gregor. homil. XV. quæ est super hodiernum evangelium ait: « Verba Domini, quæ aure percipitis, mente retinete. Cibum enim mentis est sermo Dei: et quasi acceptus cibus stomacho languente rejicitur, quando auditus sermo in ventre memoriæ non tenetur. Sed quisquis alimenta non retinet, hujus profecto vita desperatur. Æternæ igitur mortis periculum formidate, etc. »

Tertio, fructum afferunt et primo, ascendentem et crescentem, inquit S. Marcus. Debet enim fructus honorum operum primo, ascendere ad Dei gloriam, non jacere in terra ut cucumeres, hoc est, non fieri ad temporalem finem. Secundo, debet crescere, augeri et perfectior fieri. Non autem tantum aut alterum vitium deponendum, sed paulatim omnia; non una tantum virtus, sed omnes addiscendæ.

Secundo, aliud semen fert tricesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum, hoc est, alius minorem, alius majorem. Quemadmodum enim hi, qui singulas accepere mnas, diversimode negotiati sunt; alius enim lucratus est quinque, alius decem mnas, Luc. XIX. sic fit cum verbo Dei. Aliqui hoc ad status applicant. S. August. lib. I. quæst. evang. centesimum martyribus, sexagesimum virginibus, tricesimum conjugatis tribuit. S. Hieronymus, l. I. contra Jovin. centesimum virginibus, sexagesimum viduis, tricesimum conjugatis. Theophylactus centesimum

anachoretis, sexagesimum cœnobitis, tricesimum conjugatis et laicis. Alii centesimum perfectis, sexagesimum proficientibus, tricesimum incipientibus.

Tertio, fructum afferunt in patientia, ait Lucas. Quemadmodum enim sementis multas sustinere tempestates debet antequam maturæscat; ita et via justi ex semine verbi divini prognata plurimis tentationibus obnoxia est. « Sic à va calcibus tunditur (ait S. Gregorius super hunc locum)

ut in vini saporem liquatur. Sic oliva contusionibus expressa amurcam suam deserit et in olei liquorem pinguescit. Sic per trituram aræ, a paleis grana separantur et ad horreum purgata perveniunt. Quisquis ergo appetit plene vitia vincere, studeat humiliter purgationis suæ flagella tolerare, ut tanto post ad iudicem mundior veniat, quanto nunc ejus rubiginem ignis tribulationis purgat. » Hæc Gregorius.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

QUOMODO, ET QUAE RATIONE DÆMONES COMEDANT VERBUM DEI.

- I. Quando homines negligunt male. — II. Quando præsentibus ad concionem non attendunt. — III. Quando in concione sola oblectamenta quæruntur. — IV. Quando auribus quidem audiunt, sed corde non apprehendunt. — V. Quando verbi Dei auditu mox iterum obliviscuntur.

THEMA.

Aliud cecidit secus viam, et volucres cœli comederunt illud. Luc. VIII.

Inter alia mira et paradoxa hujus parabolæ, illud etiam censendum esse videtur, quod ait Dominus, volucres cœli, h. e. dæmones (ut ipse explicat) venire et rapere semen verbi Dei, quod secus viam cecidit. Quid enim, dicit aliquis, diabolo cum verbo Dei? Quid verbo Dei cum diabolo? Quid hoc illum juvat? Nonne id execratur cane pejus et angue? Ad hoc ut respondeamus, revocemus in memoriam, quod alias dixisse me memini ex S. Gregorio Turonensi, de gloria conf. cap. ult. de mercatore quodam Gallo, qui navigans in Arari flumine deposuerat marsupium suum forte in proram navis, pelle phœnicea coopertum, et quasi securo loco neglectum. Quod ex alto conspicatus milvus, leporem, aut quid simile ratus, id arripuit, ubi tamen nihil pinguedinis, aut alimenti in eo deprehendit in flumen deiecit. Hic modus, hæc ratio est, qua semen verbi Dei rapit diabolus. Videt id a multis negligi, et procul a tergo reponi; itaque ipse rapit, quia pretiosus esse novit, non sibi, sed hominibus. Nihil illa dives bursa profuit milvo rapta, obfuit tamen plurimum mercatori abrepta. Neque dæmonem juvat devoratum Dei verbum, nobis

autem ereptum maxima damna infert. Satis est hoc diabolo, si nos spoliavit cœlesti thesauro. Ergo auditores, attendendum nobis est, ne pretiosum illud semen secus viam cordis nostri cadere patiamur, ubi id stygius ille milvus devoret in malum nostrum. Qui vero istud acitent multi male cauti Christiani, audiamus.

I. Quando homines ex contemptu, vel mera negligentia aliis negotiis, non necessariis detenti, conciones negligunt. Quod ut fiat, omnibus modis allaborant dæmones, et imitantur in hoc pessimum illud Jeroboam, qui cum a decem tribubus, quæ discesserant a Roboam, electus esset in regem, et regnum sibi stabiliret, erexit aureos vitulos in Judææ finibus, unum in Dan, alterum in Bethel, quo nimirum populum avocaret a templo Jerosolymitano, quod erat in potestate Roboami. Eo enim si pergeret populus, facile rursus, seu amore templi, seu sacerdotum monitis retrahi poterat ad Roboamum, priorem et legitimum regem suum. Ergo duas aras cum vitulis erexit in locis illis, quæ leviori molestia, utpote vicina, poterant adiri, notat enim difficile esse populo ter in anno ascendere Jerosolymam quancumque spatio distarent. Et certe stultus ille populus, non attendens, quam graviter puniti fuerint ejus majores in deserto ob adoratum vitulum, seduci se permisit, et a templo, Deique cultu abduci, III. Reg. XII. Jeroboam exponitur *impugnans populum*, et dæmonem representat, qui populum Christo alioquin subjectum impugnare, et evertere non desinit. Is ergo velut capitalis Christi hostis et rex impiorum, ut populum Christi ad se trahat, aut pertractum fortius sibi subiciat, et a Christo abalienet, hoc potissimum molitur, ut a templo in quo Dei verbum docetur, retrahat et avertat: sciens quanta vis sit verbi divini ad revocandum a peccatis populum.